



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Cæsari
Aug. in Comicijs Avgvstæ. Anno M. D. XXX.**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1542

VD16 C 4714

I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35748

AD CAES. CAR.

perij, semper concorditer actum, & congruentibus suffragijs conclusum est. Ad cuius etiam generalis Concilij conuentum, simul & ad V. C. M. in hac longe maxima & grauisima causa, iam ante etiam debito modo & in forma iuris prouocauimus & appellauimus. Cui appellationi ad V. C. M. simul & Concilium adhuc adheremus, neque eam per hunc uel alium tractatum (nisi causa inter nos & partes, iuxta tenorem Caesareae proxima Citationis amice in caritate composita, sedata, & ad Christianam concordiam reducta fuerit) deserere intendimus aut possumus, De quo hic etiam solenniter & publice protestamur.

ARTICVLI FIDEI PRAECIPVI.

I.

ECclesiae magno consensu apud nos docent, Decretum Nicenae Synodi, de unitate essentiae diuinae, & de tribus personis uerum & sine ulla dubitatione credendum esse. Videlicet quod sit una essentia diuina, quae & appellatur & est Deus, aeternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator & conseruator omnium

ARTICVLI FIDEI

omnium rerum, uisibilium, & inuisibilium, & tam
men tres sint personæ, eiusdem essentia, & poten-
tia, & coeternæ, Pater, Filius & Spiritus sanctus.
Et nomine personæ utuntur ea significatione, qua
usi sunt in hac causa Scriptores Ecclesiastici, ut
significet non partem aut qualitatem in alio, sed
quod proprie subsistit.

Damnant omnes hæreses, contra hunc articu-
lum exortas, ut Manicheos, qui duo principia po-
nebant, Bonum & Malum, item Valentinianos,
Arianos, Eunomianos, Mahometistas & omnes
horum similes. Damnant & Samosatenos, ueteres
& Neotericos, qui cum tantum unam personam
esse contendant, de uerbo & de Spiritu sancto
astute & impie rhetoricantur, & non sint personæ
distinctæ, sed quod uerbum significet uerbum uo-
cale, & spiritus motum in rebus creatum.

II.

Item docent, quod post lapsum Adæ, omnes
homines naturali modo propagati, nascentes ha-
beant peccatum originis, Intelligimus autem pec-
catum originis, quod sic uocant sancti patres, &
omnes orthodoxi & pie eruditi in Ecclesia, uide-
licet reatum, quo nascentes propter Adæ lapsum,
rei